Programm

des

Gymnasiums zu Neubrandenburg,

durch welches

zu der am 30. und 31. März 1871

stattfindenden

öffentlichen Prüfung der Schüler

des Gymnasiums und der Bürgerschule

und zu der damit verbundenen

Abiturienten-Entlassung

im Namen der Lehrer

ehrerbietigst einladet

Dr. G. Thilo,
Direktor.

Inhalt:

1) Observationes criticae in Servii in Verg. Aen. VI commentarium.
2) Schulnachrichten. — Beides vom Direktor.

Neubrandenburg.
Schnellpressendruck der Hofbuchdruckerei von B. Ahrendt.

71.

Teuffel p 1013. 2

In commentario quem Servius in sextum Aeneidis Vergilianae librum composuit emendando his libris manu scriptis utor: Reginensi 1674, Sangallensi 861, Parisino 7929, Bernensi 167, Cassellano 109, qui omnes sunt decimo saeculo in membranis scripti. Reginensem (*R*), qui Servii in Aen. VI — XII commentarios continet, Romae a. 1857 contuli. Sangallensis (*S*) eosdem libros continentis lectiones diligentissime a se exscriptas Hermannus Hagenus Bernensis amicissime mecum communicavit. Hi libri, quorum scripturae mirum in modum inter se consentiunt, ad eorum codicum genus pertinent, qui iis quae Burmannus uncis inclusit carent. Quae Petrus Daniel e Bernensi et Parisino primus edidit. De Bernensi (*B*), cuius lectiones eiusdem Hageni benevolentiae debeo, C. G. Muellerus anal. Bern. part. III p. 10 disputavit. Parisinus (*P*), quem ipse contuli, continet commentarios ab Aen. VI 14 *panoticos deleacon* ad XII 819 *nomenque victorum.* Cassellanum (*C*), in quo Serviana ad. Aen. I — VI insunt, anno 1856 excussi. Habet hic liber multas lectiones, quae a Reginensi et Sangallensi alienae sunt, cum Bernensi et Parisino communes, sed eorum quae Daniel primus edidit, quae in sexto libro pauciora sunt quam in reliquis, maiorem partem non habet. Inter eos libros quos non totos contuli, sed aliquot locis inspexi Ambrosianum C. 157 memb. saec. XI et Parisinum 7965 chart. saec. XV nomino. Scribendis autem his adnotationibus id maxime egi, ut utro codicum genere Servii verba integriora servata esse viderentur quaererem.

Ad versum 1 in editis exemplaribus duo scholia, quibus *classis* vox hoc loco quam vim habeat exponitur, conglutinata sunt, quae non est credibile ab uno homine scripta esse. Nam neque illud intellegitur, quare bis dictum sit, classem esse aut eam navem qua Aeneas veheretur, aut omnes eius naves, neque explicari potest, quo factum sit, ut tres *classis* vocis originationes, quae commemorantur, non deinceps ponerentur. Inter libros manu scriptos Bernensis haec tantum habet, quae in Cassellano et Ambrosiano quoque leguntur: ,Classique; navibus suis aut (sive *B*)

suae (*om. B*) navi (navis *B*), quae classis dicitur vel (*om. C*) quod fiat de fustibus. Cales (Et cales *A*) enim dicebant maiores nostri (*om. C*) fustes quos portabant servi sequentes dominos ad proelium, unde etiam calones (colones *C*) dicebantur. Nam consuetudo erat militis Romani, ut ipse sibi arma portaret, ipse (et ipse *A*) vallum; vallum autem (*pro* vallum autem *habet* quod *A*) dicebant calam, sicut (sic *B*) Lucilius *scinde calam ut* (vel *C*) *caleas* (calas *B*, cadas *C*), id est: o puer frange fustes et fac focum. Inde ergo (autem *A*) classem dictam dicunt. Alii classem hinc magis dictam volunt: apud maiores nostros stipendium proelio (praelium *B*) terrestri miles pedester dabat (pedes tardabat *B*), equites vero dabant in navali certamine; nam adhuc pauper fuerat populus. Exinde iam, quod ab equitibus dabatur, stipendium tractum est, ut diceretur classis; proprie enim classes equitum (equites *B*) dicimus.' Haec desunt in Reginensi et Sangallensi, qui haec praebent: ,Classique aut suae navi, quae classis ut in primo diximus dicta est *ἀπὸ τῶν κάλων* i. e. a lignis, unde Horatius *me vel extremos Numidarum in agros classe releget,* aut omnium quae eius cursum secuntur.' E quibus in Cassellanum haec translata sunt: ,Classique inm. h. aut suae navi, sicut Horatius *me vel* e. q s. cum de una loqueretur navi, aut omnium quae eius cursum secuntur.'

Quae in Reginensi et Sangallensi leguntur quoniam cum iis quae ad Aen. I. 39 prolata sunt ,classem ad invidiam posuit, ut pro una navi classem dicat . . . . Aut re vera unam navem significat, ut Horatius *Me vel extremos Numidarum in agros classe releget.* Classis enim dicta est *ἀπὸ τῶν κάλων*, i. e. a lignis. Unde et calones, qui ligna militibus portant, et *καλοπόδια*' consentiunt, Servii esse puto, praesertim cum Isidorus, quem in Originum libris e Servianis multa in suum usum convertisse constat, de *classis* vocis origine haec scripserit (XIX 1,15): ,Classis dicta a graeco vocabulo *ἀπὸ τῶν κάλων*, i. e. a. lignis, unde et calones, qui (*sic Arevalus,* calones naviculae, quae *Otto*) ligna militibus portant.' Quae de *classis* voce a *cala* derivanda in *BCA* Lucilii verbis laudatis dicta sunt, ea ad antiquum interpretem referenda esse videntur, a quo nescio an Servius acceperit, classem posse unam navem dici. Illi vero qui classem inde dictam esse sibi persuaserunt, quod equites, quorum classes fuisse a Servio fortasse (cf. ad Aen. II 30 et III 602) didicerant, in navali proelio stipendia fecissent, barbari homines fuerunt. Quos aut ea quae Livius (XXIV 11, XXVI 36) et alii rerum Romanarum scriptores narraverunt, bello Punico secundo non semel et a senatoribus et ab equitibus nautas cum stipendiis datos esse, non recte interpretatos esse, aut suae gentis instituta in Romanos transtulisse suspicor. Illud quoque animadvertendum est, neque milites recte dici stipendia dare, et vitiosissime dicta esse haec: ,nam adhuc pauper fuerat populus.'

Ad v. 2 omnia quae mihi praesto sunt impressa exemplaria haec habent: ‚Ceterum mora non congruit, de Capreis Cumas usque in tanta vicinitate tam longam fuisse navigationem, praesertim accedente favore Neptuni.‘ Meliora multo et ad intellegendum faciliora sunt quae in iis quos ipse contuli libris et in Sangallensi leguntur ‚Ceterum mora non congruit de Capreis Cumas usque, ad vicinitatem accedente favore Neptuni.‘ Quamquam post illa quae sunt ‚de Capreis Cumas usque‘ fortasse ‚naviganti‘ librariorum neglegentia intercidit. — Quae sequuntur ‚An ***tandem*** ad consuetudinem navigantium, quibus nulla non longa fuisse navigatio videtur? an ***tandem*** ad idem tempus refertur, ex quo Troia navigatum est?‘ Petrus Daniel e Bernensi deprompsit, in reliquis enim libris desunt. — In Cassellano huic scholio haec addita sunt, quae reliqui libri non habent: ‚Alii dicunt Cumas a mulieris praegnantis nomine, quae Chalcidensibus fata canebat, appellatas. Sed prolempsis est; nam ante venit Aeneas ad Italiam, quam Chalcidenses.‘ Quibus alteram earum quas Servius commemoravit Cumarum nominis originationum impugnari vides.

v. 3. ‚Obvertunt non obvertit, ut non Aeneae, sed sociis vilia et nautica dentur officia, ars vero gubernandi soli tribuatur Aeneae‘ ***BC***. ‚Bene autem obvertunt, ut non Aeneae sed sociis vilia dentur officia. Gubernandi ars soli Aeneae conceditur‘ ***RS***. ‚Non obvertit‘ et ‚et nautica‘, quae supervacua sint, rectius videor statuere ab interpolatore aliquo addita esse, quam a neglegenti librario omissa. Illud etiam in ***RS*** melius ‚quod verba ‚gubernandi ars soli Aeneae conceditur‘ ab enuntiato consecutivo separata sunt. Gubernatas enim esse naves ab Aenea non inde intellegitur, quod socii proras pelago obverterunt, sed ex iis quae v. 2 dicta sunt ‚classique inmittit habenas.‘

Ad v. 5 in Bernensi et Cassellano duo scholia extant, quae nondum edita sunt. ‚Praetexunt; praetegunt, ut (Aen. IV 500) ***praetexere funera sacris***‘ et ‚Emicat; cur hoc verbum posuerit ex sequenti (exequenti ***codd.***) ac tu iuvenum advertendum est.‘ Legendum videtur ‚ac ***τοῦ***.‘ Unus Cassellanus post lemma Servianum quod est ‚Juvenum manus‘ haec habet: ‚vel quod et (***l.*** haec) aetas apta sit ad praeparandum quae ad usum necessaria sunt vel‘...

v. 9. Coelii verba, quae Hermanno Petero (cf. Hist. Rom. rell. p. 163) scripsi a Petro Daniele e Parisino deprompta esse videri, Bernensi deberi Hagenus me docuit, in quo non ***est*** legeretur, sed ***tibi***. (!). Scribendum igitur ‚ibi in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes XV.‘

v. 14. Extrema huius scholii verba, quae in Parisino et Bernensi solis extant sic fere scribenda videntur: ‚Quidam hunc Daedalum Eupalami filium arte fabrili nobilem, occiso Perdice sororis suae filio, quem solum habere metuebat aemulum artis

suae — nam ab illo dicunt inventum (*e coni. addidi*) et usum serrae de osse interiore piscis et circinum propter nomen suum; nam aliquibus Circinus putatus est appellatus, vel ut quidam propter (*e coni. addidi*) organum inventum — tradunt fugientem invidiam ad Minoem delatum Cretam, Pasiphaes (passife ***B***, pasifae ***P***) uxoris eius nefandi stupri dolum fabricasse'. Pleniorem narrationem de Daedali fuga ab homine aut neglegentissimo aut latina lingua parum docto in brevius contractam esse apparet. Quamquam quod Philippus Wagnerus comm. d. Jun. Phil. II p. 15 dicit, Bernenses et Leidenses commentarios in scholis ex ore magistri a discipulis exceptos ab alioque diligentius, ab alio neglegentius in oram codicis coniectos videri, id ad multa quoque eorum quae in Parisino et Bernensi Servianis scholiis addita sunt pertinere existimo. Sed sive magistro ille qui haec scripsit, sive libro aliquo duce usus est, videtur narrare voluisse, a Perdice et serram et circinum inventum esse. Circini tamen inventionem ei fortasse propterea tributam esse, quod Circinus appellatus esset, quamquam alii traderent, id ei nomen propter circinum inventum inditum esse. *Organum* enim circinus, ni fallor, intellegendus est.

v. 19. ‚Et iterum miscet dicendo *remigium,* quod est navis'. His verbis, quae unus Parisinus servavit, additum est ‚aescylus'. Meminisse videtur is qui haec scripsit Agamemnonis Aeschyliae v. 52 *πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι.*

v. 39 ‚aculeatam' quod vulgo legitur in uno Reginensi est. Parisinus enim et Sangallensis ‚maculatam' habent. In Cassellano prima manus scripsit ‚aculatam', a secunda ‚e' littera supra versum addita est.

v. 49. In editis exemplaribus vitiose legitur ‚maiorque videri; videbatur, sicut solebat in vaticinantibus apparere per numinis praesentiam'. Etenim verba ‚sicut solebat apparere' non habent quo referantur. Librorum memoria duplex est. Reginensis enim et Sangallensis praebent ‚sicut solebat in vaticinantibus apparere numinis praesentia', Parisinus et Cassellanus ‚sicut solebat in vaticinatione apparere per numinis praesentiam'. Cum utraque scriptura peculiares virtutes habeat, utra sit Servii ‚vix poterit diiudicari. Nam Reginensis testimonium Parisino sermonis integritate antecellit, hoc magis quam illud ad Vergilii verba adcommodatum est; Sibyllam enim scholiasta dicit in vaticinatione maiorem apparere i. e. videri.

v. 51. ‚Cessas in vota; tardus es ad vota facienda; nam si dixerit *cessas in votis* hoc significat: tardus es dum vota facis'. Pro ‚dixerit' Reginensis praebet ‚dixerunt', reliqui libri ‚dixeris' habent. Hoc recipiendum est et pro ‚significat' scribendum ‚significatur'.

v. 57. Pro ‚in Stygiam paludem' legendum est vel ‚in Stygem paludem', quod ***RS***, vel ‚in Styge palude', quod ***PC*** habent. Verba quae sunt ‚manu matris, unde

Statius *si te Stygis amne'* e. q. s. e codicibus saeculi XV, inter quos Parisinum 7965 nomino, deprompta sunt et a Servio aliena. In iis quae sequuntur dissentiunt inter se **RS** et **CPB**. Illi enim habent quod editum est ,qui (Achilles) cum amatam Polyxenam ut in templo acciperet, statuisset', hi ,q. c. a. P. ut in templo acciperet, sacrificaret'. Dubium esse non potest, quin ea quae **RS** servaverint Servii sint. Primum enim dicendum fuit ,ut acciperet, in templo sacrificaret'. Deinde Servius haec si scripsisset, perquam obscure significasset, quod significare eum debuisse e Philostrati Heroicis p. 737 coniicere licet, Achillem ad Apollinis Thymbraei templum venisse, ut sacrificio et iure iurando foedus inter Graecos et Troianos sanciretur, quo facto Polyxenam acciperet. Itaque ,sacrificaret' illud inventum esse puto ab aliquo, qui ,statuisset' quid sibi vellet ignorabat. Ceterum post ,templo' ,Apollinis Thymbraei' intercidisse videntur. — In extremo scholio **RS** praebent ,ut eius fata compleret', **CP** ,ut eius vota compleres'. Illud praefero, quod iis quae antecedunt magis respondeat. ,vota compleres' qui scripsit, is non intellexerat, ,eius' referendum esse ad ,quid feriret', quod illum quoque fugit, qui ,Achillis' pro ,eius' Servium scripsisse coniecit

v. 60. ,Mediterranea enim est pars Mauritaniae' uncis inclusit Burmannus. Sed leguntur haec verba in **RS**. Omissis ,enim est p. M.' Parisinus et Bernensis exhibent, ,mediterraneum', Cassellanus ,mediterraneam'. Quae sequuntur ,praesertim cum — vacat' e codicibus saec. XV petita sunt.

v. 64. Pro his quae in **RS** sunt ,Quod autem cum dixerit *diique deaeque, omnes* dearum tantum reperimus exempla non mirum est' **PC** habent ,Cur autem — — reperiamus — — non mirum est', quae scriptura ab inepto elegantiarum studio videtur profecta esse. Aptius in iis quae sequuntur pro ,licet dicatur etiam Neptuno obfuisse Troia ex denegatione mercedum', quod **RS** exhibent, in **PC** scriptum est ,ex denegata mercede'. — In Georgicorum versu (I 137) quem Servius hoc loco profert codices non ,nunc' ut Lionus dixit, sed ,tunc' habent.

In scholio ad v. 72 adposito quanta sit inter **RS** et **CP** dissensio, ut facilius cognoscatur, quae in utrisque leguntur ex adverso ponam.

,Tuas sortes; Sibyllina responsa, quae ut supra diximus incertum (certum *R*) est cuius Sibyllae fuerint, quamquam Cumanae Virgilius dicat, Varro Erythraeae, sed constat (Servilio Tullio *add. R*) regnante Tarquinio quandam mulierem, nomine Amaltheam, obtulisse	*,Tuas sortes;* Sibyllina responsa, de quibus supra diximus, incertum est cuius Sibyllae fuerint, quamquam Cumanam Virgilius dicat, Varro Erythraeam (erit hea̅ *C*) esse. Constat autem regnante Tarquinio quandam mulierem, quae se malteam diceret, obtulisse ei

ei novem libros, in quibus erant fata et remedia Romana, et pro his poposcisse trecentos philippeos, qui aurei tunc pretiosi erant. Quae contempta alia die tribus incensis cum tribus reversa est et accepit quantum postulaverat, hac ipsa re commoto rege, quod pretium non mutabat. Qui libri in templo Apollinis servabantur'. ***SG.***

novem libros, in quibus diceret fata remedia et (*om. C*) Romana, et pro his poposcisse CCC philippeos, q. a. t. p. e. Q. c. a. d. tribus incensis cum sex (tribus *C*) reversa est et trecentos (tantum *C*) poposcit, ac denuo contempta est (ac — est *om. C*); item tertio aliis tribus incensis cum tribus tantum (*om. C*) reversa est, et accepit quantum poposcerat, hac ipsa re (*om. P*) commoto rege, quod pretium non minuebat: tunc mulierem subito non apparuisse. (tunc — appar. *om C.*) Qui libri in templo Apollinis servabantur.' ***CP.***

Quaeramus nunc utrius librorum generis testimonia alteri praeferenda esse videantur. In scholio ad v. 36, ad quod revocamur, Servius cum non dixerit de Sibyllinis responsis universis, sed utrum a Cumana an ab Erythraea fata Romana conscripta essent dubitatum esse narraverit, quin hoc loco scripserit ,quae ut supra diximus' dubium esse nequit. — Verba quae sunt ,quamquam Cumanae Virgilius dicat, Varro Erythreae' cum iis quae antecedunt ita conexa sunt, ut ,esse' facillime suppleatur. Contra quae ***CP*** exhibent ad priorem sententiae partem non sunt apta. — ,Sed constat' melius est, quam ,constat autem'. Quamvis enim incertum sit, cuius Sibyllae fuerint libri Sibyllini, illud tamen Servius constare dicit, eos a muliere quadam Tarquinio oblatos esse. — Nomen Sibyllae quod in ***CP*** corruptum est, id librariorum neglegentiae tribuendum. At ,quae se Amaltheam diceret' barbare dictum est. — ,in quibus erant f. e. r R' Servium scripsisse magis probabile, quam ,in quibus diceret f. e. r. R.' Dionysius enim Halic. IV 62 et Lactantius I 6, qui Varronem secuti sunt, quo Servius quoque auctore utitur, Sibyllam ipsam quid in libris inesset indicasse non narraverunt. Gellius vero I 19 ,novem' inquit ,libros ferens, quos esse dicebat divina oracula.' — Verba quae sunt ,cum sex — tribus incensis' in eo libro, e quo Sangallensis et Reginensis transcripti sunt, librarius omisit, cuius oculi a priore ,tribus incensis' ad alterum aberraverant. Ceterum pro ,trecentos' non Cassellanus tantum, sed Ambrosianus quoque habet ,tantum', quod dudum emendatum est. Eo quoque Ambrosianus Cassellani similis est, quod et ,ac denuo contempta est' et ,tantum' omittit, quibus verbis facile caremus — ,minuebat' non esse a Servio scriptum, pro certo licet affirmari; id enim nemo mutasset. At pro ,mutabat' ut ,minuebat'

scriberet, facile quis potuit inepta diligentia adduci. — Venditis libris Sibyllam subito non apparuisse, omnes quos supra nominavi scriptores narrant. Sed cum ad Vergilii verba explicanda nihil referat, eam rem commemorari, illa quae Parisinus unus habet Servianis fortasse ab interpolatore aliquo addita sunt.

v. 73. ‚librorum custodes‘ Burmannus recte inclusit, in omnibus enim quos novi libris deest. In iis quae sequuntur ita libri inter se differunt, ut ‚sciendum sane‘ ***RS*** ‚sc. tamen‘ ***CP***, ‚primo‘ ***RS***, ‚primum‘ ***PC*** habeant. Utroque loco melius est quod in ***RS*** legitur.

v. 74. Hoc scholium in Parisino deest. Cassellanus ‚scribebant‘ praebet, in Reginensi et Sangallensi est ‚scribebat.‘ Hoc Varronis esse, his Servii verbis probatur (ad Aen. III 444): ‚In foliis autem palmarum Sibyllam scribere solere testatur Varro.‘

v. 79. ‚Excussisse deum; *excuti* proprie de equis dicimus. Quod inde traxit, quia Phoebus i. e. Sol equis utitur.‘ Haec in editis exemplaribus leguntur, quibuscum codices consentiunt, nisi quod pro ‚inde‘, quod e Parisino, a quo non dissentit Cassellanus, Petrus Daniel deprompsit, ***RS*** ‚ideo‘ habent. Quod recipiendum esse existimo. Trahendi enim verbum hoc loco non est idem, quod ‚repetere‘ vel ‚ducere‘, sed adsumendi vim habet. Pro ‚de equis‘ autem apparet scribendum esse ‚equitem.‘ Quod Servius ad verba quae sunt fera corda domans explicanda dixit, id non dubito quin integrius servatum sit Reginensi et Sangallensi, qui habent ‚quod est equorum primum frenos pati et stimulos‘, quam Parisino et Cassellano, in quibus non ‚primum‘, sed ‚proprium‘ extat.

v. 82 legendum est ‚Ferunt responsa; quia supra ait *ora domus*‘, quod ***RS*** praebent. Absurda enim quae in Parisino sunt ‚quia ut supra ait *ora domus patuere*‘, tamquam ad v. 81 respexerit poeta.

v. 84 haec edita sunt: ‚In regna Lavini; alii Latini legunt, cuius tunc erant, sed quia divina loquitur, futura praeoccupat. Postea enim Lavinium dicitur, licet possit ad Lavinum Latini fratrem referri, qui illic ante regnavit.‘ ‚dicitur‘ Reginensis scriptura est, ‚dicetur‘ Sangallensis et Cassellani; in Parisino ‚dicitur — Lavinum‘ desunt Servii esse puto quod ***SC*** habeant. Pro ‚Lavinum‘ in ***RSC*** est ‚Lavinium‘ Quaerendum est, utram huius nominis formam reliquis locis, ubi frater Latini a Servio commemoratur, libri praebeant. Atque Aen. I 2 quod Rubino (Beitr. z. Vorgesch. Ital. p. 101) Servium scripsisse coniecit ‚nam primum Lavinum dictum est a Lavino, Latini fratre‘ legitur in Parisinis 1750 et 7959, Hamburgensi 249 (hi tres codd. sunt saeculi X), Cassellano; Bernensis 363 saec. IX habet ‚Lavinium dictum est a Lavino.‘ Aen. VII 59 haec est scripturae varietas: ‚Latinus post

mortem fratris Lavini cum Lavinium amplificaret' ***RP***, ,L. p. m. f. lavi c. Lavinum aedificaret' ***S***, ,L. p. m. f. Lavini c. Lavinum urbem amplif.' ***Lipsiensis*** (saec. X). Aen. VII 678 ,Item a Lavinio fratre Latini Lavinium dictum' ***RS***, ,J. a Lavino L. f. est Lavinum d.' ***Lipsiensis***, ,J. a. Laciinio L. f. Laviniam dictam'. ***P***. Cum Aen. I 2 codices inter se consentiant, Lavinum Latini fratrem appellatum esse Servius credidisse videtur, praesertim cum haec eius nominis forma Lipsiensis quoque testimonio Aen. VII 678 probetur.

v. 95. ,adversa fortunae,' quod Reginensis servavit, Servii est. Sang. prima manus scripsit ,adversa fortuna,' altera ,adversam fortunam', quod ***PC*** quoque habent.

v. 107. ,dicit enim eum circa una nocte navigasse' vulgo legitur. ***R*** et ***S. m. pr.*** praebent ,circa unam noctem,' ***S. m. sec.*** cum editis consentit. Serviana debemus Parisino et Cassellano, in quibus leguntur ,a Circe (Circa ***C***) una nocte.' cf. Hom. Od. XI 11.

v. 116. ,orans mandata dabat; sicut dicturus est ut ***supplex tua*** (supplectu ***P***, sub plectua ***B***) ***numina posco***. Maior enim ad impetrandum vis est eum rogare qui possit iubere ***PCB***. ,Sic dictum est eum rogare cui possit imperare (iubere ***S***), ut ***supplex*** (suplex ***S***) ***tua numina posco***. Maior enim ad impetrandum vis est iubere.' ***RS***. ,sicut dicturus est' verba quin corrupta sint, non est dubium, sed in iis quae sequuntur nescio an recte editores Danielem secuti sint, qui Parisino et Bernensi utebatur. Quamquam ,cui' illud, quod in Reginensi est, ita potest servari, ut scribatur ,n. m. a. i v. e. cum eum rogas, cui possis imperare' vel ,iubere.'

v. 134 explicat Servius, cur non sit, quod Ovidium, qui Aeneam inter deos relatum esse narret, cum Vergilio pugnare dicamus ,qui Aeneam bis ad inferos descendisse hoc loco ostendat. Nam etiam eorum, qui inter deos relati sint, apud inferos debere esse simulacra. Inde factum esse, ut multi verba illa ***bis Stygios innare lacus*** ad Sibyllam referrent. Quorum rationem Servius his verbis impugnat: ,Quod si est, non bis haec sed tertio inferos cernet; nam quandoque etiam ipsa morietur.' Quae sequuntur ,Item hi (his ***P***, hii ***B***), supra dictam non videntes rationem, dicunt de se Sibyllam dicere. Nam si de Aenea dicat, non eum (***om. R***) praevidet deum futurum. Quod si est, caruit numine, et quem ad modum est de Miseno vaticinatura? Unde referre nos debemus ad id, ut dicamus, etiam post (***om. P***) apotheosin apud inferos remanere simulacra' etsi in omnibus sint libris manu scriptis, Servii esse non puto. Is enim eos, quos non videntes, etiam inter deos relatorum simulacra apud inferos esse, verba ***bis Stygios innare lacus*** ad Sibyllam referre dixit, id fecisse intellexit, ne Sibylla nescire videretur, inter deos relatum iri Aeneam. Itaque verbis, de quibus agitur, nihil novi profertur, sed Serviana explicantur. ,Item'

autem illud non eius esse videtur, qui Servium interpretatus est, sed eius, qui huius interpretis verba, quae fortasse in margine alicuius libri scripta erant, Servianis addidit. Ceterum ille qui haec scripsit ab obliqua oratione, qua usus dixit ,nam si de Aenea dicat' non debuit digredi.

v. 154.*) ,Quae inventa postea cum sepelire vellet, elegit vicinae paludis tutissimum locum, quem transitu constat esse difficilem.' Loquitur Servius de Iside Osiridis coniugis membra inventa sepeliente. ,quem transitu' Parisini scriptura est, Reginensis habet ,quā transitū', Sangallensis ,quam a transitu.' Scribendum videtur ,qua transitum' Ibidem ,Lectum est etiam, quod vicini (hinc *add. P, quod supervacuum est et post* suorum *collocari debuit*) populi cadavera suorum ad alteram regionem transferunt (transferat *P*); sed si qui (quis *R*) forte in fluvio pereat, nec eius inveniatur cadaver, post centum ei annos ultima persolvuntur officia.' Haec in Sangallensi leguntur, quocum consentit fere Reginensis, qui habet ,post centum ei ultima annos persolvuntur', nam ,officia' sine ullo sententiae detrimento omitti potest. Deterior multo Parisini memoria, quae haec est: ,post centum ei annos parentatur.' ,Parentare' enim non est idem, quod ,iusta facere.' At Servium dicere voluisse, iis quorum corpora non essent inventa, post centum annos iusta facta esse, Vergilii versibus quibus usus est, qui sunt Aen. VI 325 sqq., demonstratur. In extremis quoque huius scholii verbis scribendis Sangallensem ducem sequamur oportet, qui habet ,licet et Hercules aliique transierint, et sit transiturus Aeneas.' In Reginensi enim prius ,et' deest, et Parisinus habet ,licet Hercules et alii transierint et sic sit A. t.'

Ad versum 165 codices saeculi X, quibus utor, nihil habent nisi haec: ,hemistichium hoc dicitur addidisse dum recitat.' In Parisino 7965 autem haec inveni: ,hemistichium, id est dimidium versum, hoc dicitur addidisse, dum Augusto hunc librum recitaret. Nam ante hemistichium fecerat dicendo *aere ciere viros*, quod postea in praesentia Augusti ex abundantia intellectus addidit subito *Martemque accendere cantu*'

v. 177. Memorabile est quod Parisinus et Bernensis pro eo, quod *RS* exhibent ,Probus (pro quib. *R*) tamen et Donatus,' praebent ,Probus et ceteri commentatores.' Qua re illud probari videtur quod mus. Rhen. XIV p. 550 dixi, eam commentariorum recensionem, quam Danielis libri repraesentarent, ita ortam esse, ut Servianis aliorum commentatorum scholia adderentur.

v. 197. Reginensis et Sangallensis cum omnibus libris, quibus Burmannus usus est, habent ,unde aggeres post pomeria, ubi captabantur auguria, dicebantur (*in*

---

*) In Cassellano commentarius ad v. 153—359 deest, octo enim folia perierunt.

Sangallensi n *supra versum ab eadem manu*) effatus.' Quibus repudiatis in omnia fere exemplaria id receptum est, quod inter meos codices Parisinus praebet ,unde ager,' quamquam is quoque habet ,dicebantur.'

v. 198. Ea quae e Livii libro XVIIII, ut videtur, Servius deprompsit in Parisino desunt. A Reginensi et Sangallensi autem uno tantum loco edita, exemplaria ita dissentiunt, ut illorum scripturas proferri oporteat. In Reginensi enim legitur ,Inde navibus victor revertens ad Africam tendens, in mari cum omnibus quos ducebat extinctus est,' in Sangallensi ,Inde navibus victor revertens ad Africam cum periit exercitu.' Hertzius, fortasse Guelferbytanum I in editione Gottingensi laudatum secutus, omissis verbis ,victor revertens' edidit ,I. n. ad Africam tendens.' Qua ratione etsi sanam sententiam recuperatam esse concedo, aegre tamen fero, quod ,victor revertens' illud unde ortum sit explicari non potest. Qua re adducor, ut haec verba librariorum neglegentia corrupta et ita emendanda esse credam, ut scribatur ,Inde navibus victoriae certus ad Africam tendens cum omnibus quos ducebat extinctus est.' E memoria autem Liviana a Servio laudata esse, non est quod moneam.

v. 238. ,Scrupea; lapillosa. Nam *scrupus* proprie est lapillus brevis, qui pressus sollicitudinem creat.' Parisinus inter ,qui' et ,pressus' haec habet, quae Petrus Daniel non digna esse iudicavit, quae ederentur: ,incedentibus impedimento est et.' Commentarius ad 239—275 in Parisino et Bernensi deest.

Ad v. 276 in uno Parisino de malesuada Fame haec leguntur: ,mala suada famesque (*l.* fames quae) impellit homines interdum ad inlicita.'

v. 280. In libris manu scriptis et impressis verborum ordinem turbatum esse apparet. Nam illa quae sunt ,ut non videatur esse contrarium, quia furias paulo post alibi esse dicit. Nam possunt hic natae esse et alibi manere et alibi officium exercere poenarum' quid sibi velint non intellegitur. Neque difficultates quibus hic locus laborat eo expeditae sunt, quod in *RS* ante ,ut' ,et' vocula inserta est. Itaque aut verba quae sunt ,Alii thalamos dicunt qui facti sunt auctoribus furiis, sed non procedit, quia ait *terribiles visu formae*' ab aliquo interpolatore, neglecto sententiarum ordine, addita esse statuendum videtur, aut illa de quibus agitur post ,in quibus natae sunt' transponenda sunt: ut dicat Servius, cum furiae numquam nupserint, thalamos accipiendos esse, in quibus natae sint Qua re illud quoque effici, ne Vergilius secum pugnare videatur, cum v. 570 sq. illas in Tartari limine collocatas esse dicat. ,quia' enim eandem vim habet hoc loco, quam ,quod.' In Parisino et Bernensi huic scholio quaedam addita sunt, quae Daniel tantum non omnia repudiavit. Primum enim inter ,quibus' et ,natae' libri illi praebent ,et habitationum loca,' quae verba Daniel ,et' vocula deleta post ,accipiamus' collocavit. Deinde ,furiis' vocem haec sequuntur: ,in

quibus adulteria et caedes admiserunt', et verbis quae sunt ,et alibi manere' haec addita sunt: ,aut in vestibulo manere.' Quae omnia Servio indigna esse nemo non videt. Eodem modo iudicandum esse Daniel vidit de his, quae v. 283 Parisinus et Bernensis post ,epitheta' habent: ,et quidem (*l.* quidam) tradunt, ideo in ulmos omnia (*l.* somnia) inducta, quod vino (uno *B*) gravati vana somnient et ulmos (*l.* ulmus) apta sit uti (*l.* viti), et ideo apud inferos rem inanem' (rem nanem *B*) — —. fortasse addendum ,in ulmo esse.' Ea quoque proferam quae v. 286 post ,pereunt' *PB* exhibent, Daniel autem non edidit ,aut ideo in aditu monstra sunt posita, ut propter hoc terribiliores essent inferis.'

v. 304. ,Cruda deo viridisque senectus; *τὸ αἴτιον,* quia in deo.' Haec quae *RS* praebent sufficiunt ad explicandam Vergilii sententiam. Quae praeter illa in *PB* leguntur et a Petro Daniele recepta sunt ,ideo cruda et viridis' et ,et bene viridis,' iis facile caremus. Quorum alterum ita interpretor, ut poetam laudari dicam, quod viridem dixerit senectutem. Itaque Burmannus, quem Lionus secutus est, post ,viridis' intercidisse aliquid non recte statuit.

v. 324. ,Ratio autem est quam supra diximus. Ideo per Stygem dii iurant, quia tristitia contraria est aeternitati.' His graeca verba nonnulla in libris addita sunt, quae non mirum est vitiosissime scripta esse. Habet autem Sangallensis, cui Reginensis similis est, *ΤΟ ΣΤΥΓΝΟΝ ΤΩ ΜΑΚΑΙΛΘΑΛΝΛΤΩ*, Parisinus *ΓΟΣΤΥΓΝΟΝ ΤΟ ΜΛΚΑΡΙΟ ΚΑΙΛΟΛΝΛΛΤΩ.* Burmannus coniecit scribendum esse *τὸ στυγνὸν τοὐναντίον τῷ ἀθανάτῳ.* Scripsit Servius *τὸ στυγνὸν τῷ μακαρίῳ καὶ ἀθανάτῳ,* ut ,contrarium est' ex iis quae antecedunt repeti vellet. cf. ad v. 134 ,quia *ἄφθαρτοι καὶ μακάριοι.*'

v. 340. ,Multa maestum cognovit in umbra; prudentiores dicunt, animas recedentes a corporibus sordidiores esse, donec purgentur.' ,recedentes, Reginensis et impressi libri, ,recentes' *SPB* et Vossianus Burmanni habent Quod nescio quam ob rem ii qui Servii commentarios ediderunt non receperint.

v. 386 ,per tacitum nemus; aut solum; aut ipsos tacitos' *RS*, ,aut solum, aut ipsi taciti i. e. tacite' *CP*. Servium ,ipsos tacitos' scripsisse opinor; nam haec interpretatur Vergilii verba: ***navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda per tacitum nemus ire.***

v. 395 ,in vincla petivit; Hercules a prudentioribus mente magis quam corpore fortis (fortiter *R*) inducitur, adeo ut duodecim eius labores (bores *P*) referri possint ad aliquid. Nam cum plura fecerit (steterit *P*), duodecim ei adsignantur propter agnita duodecim signa.' Pro ,aliquid' Pontanum ad Macrob. Sat. I 20 ,animum' coniecisse Burmannus refert, qui ipse ,aliud' Servium scripsisse suspicatus

est. At haec est, opinor, Servii sententia, ut Herculi qui permultos labores perfecerit, duodecim certam aliquam ob causam tributos esse dicat, scilicet ut laborum numerus signorum Zodiaci numero par esset. cf. Preller griech. Mythol. II p. 187. Ibidem ‚Quod autem dicitur traxisse ab inferis Cerberum, haec ratio est, quia omnes cupiditates et cuncta vitia terrena contempsit et domuit. Nam Cerberus terra est i. e. consumptrix omnium corporum.‘ Pro ‚consumptrix,‘ quae est Parisini et Cassellani scriptura, Reginensis et Sangallensis praebent ‚consummatrix.‘ Propter ea quae sequuntur ‚Unde et Cerberus dictus est quasi κρεοβόρος i. e. carnem vorans‘ illud praeferendum esse puto. cf. ad v. 418.

v. 396. ‚Ut alibi *arces* pro imperio posuit, ut *inbellem avertis* (avertens *PC*) *Romanis arcibus Indum*, cum Indi usque ad primos venerint fines, non usque ad arces.‘ ‚primos‘ *SR*, ‚imperii‘ *PC*. Aut utrumque recipiendum est, ut scribatur ‚ad primos imperii fines‘ aut ‚primos‘, quod in editis exemplaribus legitur, retinendum.

v. 448. In Parisino et Bernensi fabula de Caenide mutata aliter narrata est atque in ceteris libris, quibuscum edita exemplaria consentiunt. Quae in illis codicibus leguntur non indigna visa sunt, quae proferrentur, sunt enim haec: ‚Caenis Elati filia virgo fuit, quae a Neptuno adamata stupri praemio meruit, ut in sexum mutaretur virilem. Cuius Neptunus admiratus animum etiam illud praestitit, ut invulnerabilis esset. Cum ergo pro Lapithis contra Centauros pugnaret, (et *add. P*) crebris ictibus saxorum ac fustium paulatim obrutus, fixus in terra est; post mortem tamen in priorem sexum petit (*l.* rediit).‘ Quae narratio quod illa, quam ceteri libri habent, et plenior est et politior, id non est necesse inde repeti, quod Parisinus Serviana integriora servaverit, sed ita potest explicari, ut is qui Servianos commentarios in eam formam redegerit, quae Parisinum et similes libros occupavit, alio auctore usus Servii verba et dilatasse et limavisse dicatur. Ceterum pro ‚pretio‘, quod unus Cassellanus habet, non *PB* solum, sed *RS* quoque ‚praemio‘ praebent: illud igitur non debuit recipi. In exitu scholii ‚hoc autem dicto‘ in *RSB* legitur, in reliquis haec verba desunt.

v. 456. ‚Infelix Dido; veniali utitur statu, et excusat se per necessitatem, ne mortis causa fuisse videatur.‘ ‚statu‘ in omnibus libris deest. At recte eam vocem Servii verbis insertam esse probatur his quae ad IV 333 adnotata sunt: ‚et veniali utitur statu, profectionem suam retorquens in voluntatem deorum‘ Ea quae ad verba quae sunt *verus mihi nuntius* explicanda Servius scripsit sic edita sunt, ut legatur ‚sed in neutro eius ei etiam mortis genus est significatum, et hinc dicit *ferroque extrema secutam.*‘ Primum ‚eius‘ vox delenda est, quam unus Parisinus

exhibet, in quo ,ei' deest; Cassellanus ,eius ei' omittit. Deinde pro ,hinc' in omnibus meis libris est ,hic,' quam scripturam nemo non videt vulgatae praestare.

v. 480. ,Parthenopaeus; Atlantis et Martis sive Melanionis filius, rex Arcadiae fuit, qui Thebana bella puer admodum petiit.' Pro ,Atlantis' Parisinus ,Athalantis' praebet, unde facile elicitur ,Atalantes'; in reliquis libris est aut ,Melanippae' (***RS***) aut ,Menalippae' (***C***). Pro ,petiit,' quod ***RSC*** habent, cum ,perit' legatur in ***PB***, fortasse scribendum est ,qui Thebano bello puer admodum periit,' cum praesertim ,Thebano' Cassellanus servaverit.

v. 495. Sic scribendum videtur: ,Ad cuius (Deiphobi) domum primum iri necesse erat, ubi fuerat causa belli.' ,iri' ***CPB***, ,ire' ***RS***. ,ubi fuerat' ***omittunt PB***, Cassellanus habet ,unde fuerat,' quod ex inepta coniectura ortum est.

Ad v. 595 Servius laudat Ennii versum, qui est apud Vahlenum Ann. 141. Librorum scripturae hae sunt: ,vulturis in campos miserum mandebat homonem' ***R***; ,vulturius in silvis miserum mandebat homonem' ***S***; ,vultu in campo supinum mandebat hominem' ***B***, quocum consentit Parisinus, nisi quod habet ,homonem'; ,vulturus in campo supinum m. h.' ***C***.

v. 596 profertur quod Lucretius III 978 sqq. docuit, in vita hominum esse omnia, quae de inferis fingerentur. Alteram partem huius scholii e libris emendatam proponam: ,Ipse etiam Lucretius dicit, per eos, super quos iam (iamiam ***PC***) casurus imminet lapis (lapsurus est lapis ***C***, lapsurus est imminet lapis ***P***) superstitiosos significari, qui inaniter semper verentur et de diis et caelo superioribus (bus ***litterae in S deletae sunt***, peritioribus ***P***, et locis ***quod edita exemplaria post*** caelo ***habent in omnibus meis libris deest***) male opinantur. Nam religiosi sunt qui per reverentiam timent. Per eos autem qui saxum volvunt ambitum vult (vidit ***P***, ***om. R***) et repulsam significari, quia semper (semel ***PC***. cf. Lucr. III 997.) repulsi petitores ambire non desinunt. Per rotam autem ostendit (ostenduntur ***R***) negotiatores, qui semper tempestatibus turbinibusque volvuntur.'

v. 603 ,valde similis' et ,enim,' quae unus Parisinus habet, delenda sunt. Ex iis quae sequuntur verba quae sunt ,ita ***adinvenire*** pro ***invenire*** legimus' in omnibus quos vidi libris desunt.

v. 608 scribendum est ,haec quidem constat dicta esse generaliter. Possunt tamen etiam ad species trahi.' Nam ,speciem,' quod vulgo legitur, unus Reginensis exhibet.

v. 612. ,ob adulterium caesi; si occisi (occisum ***S***) Aegisthum (megestum ***R***) significat, Thyestae filium; si re vera (et si reversa ***R***) ***caesi***, Sallustium (salustium ***R***), quem Milo deprehensum sub servi habitu verberavit (ut ***add. P***) in adulterio

suae uxoris, filiae Syllae.' Haec Servii. In Reginensi deest ,uxoris,' in Cassellano ,filia' legitur et ,Syllae' omittitur. Parisinus denique praebet ,in adulterio suae uxoris quae fuerat fausti Syllae filia.' Hinc factum, ut ,Faustae' nomen Servii verbis insereretur.

v. 645. ,Orpheus Calliopes et Oeagri filius fuit, qui primus orgia instituit, primus etiam deprehendit harmoniam i. e. circulorum mundanorum sonum, quos novem esse novimus. E quibus summus, quem **ἀναστρον** dicunt, sono caret, item ultimus, qui terrenus est; reliqui (omnes *add.* ***R***) septem sunt, quorum sonum deprehendit Orpheus.' Quae sequuntur in libris librariorum neglegentia corrupta sunt: habet autem ,unde ut in VII fingitur chordis' ***S;*** ,unde in septimo fingitur chordis' ***R;*** ,unde septem fingitur chordis' ***C;*** ,unde ait septem fingitur chordis' ***PB.*** Videtur scribendum esse ,unde usus septem fingitur chordis,' aut musici instrumenti nomen, veluti ,*χέλυς*' vel ,*λύρα*' vel ,testudo' e litteris illis refingendum.

v. 648. ,Hic genus antiquum; quod non omnes viros fortes in Elysio visos esse commemorat, haec ratio est, quia isti divinos meruerunt (meruerant ***vulgo***) honores: quod Tydeo vel (et ***R***) his quos supra memoravit (commemoravit ***PC***) non contigit (contingit ***P***). Nam ideo ***antiquum*** (antiquo ***R***) addidit, quasi et illis Elysii (elisus ***P,*** elysiis ***B.*** ***vulgo additur*** non) contingerent (contigerent ***C***) campi (campis ***PB***), si eis annorum non (*om.* ***S***) derogata esset (derogasset ***RSP,*** derogaret ***C***) vetustas' (uetestas ***P***). Sic puto haec verba scribenda esse. ,Isti' autem sunt ei, quos in Elysio Aeneas vidit Illi, quibus futurum fuisse dicit Servius ut Elysii campi contingerent, sunt Tydeus et ceteri viri, quos Vergilius v. 479 sqq. commemoravit. ,derogata esset' scripsi pro ,derogasset,' quod non potest idem esse, quod ,defuisset.' Ceterum quibus explicatur, cur ***antiquum*** Vergilius addiderit, ea cum iis quae antecedunt adeo non conveniunt, ut non videantur Servii esse.

v. 724. Servius ubi animum a deo originem ducere exposuit haec dicit: ,Huc igitur tetendit primam intentionem suam, ut animos immortales doceret (***vulgo*** diceret). Sed occurrit illud: si immortales sunt et unum habent principium, qua ratione non omnia animalia sentimus (***vulgo*** sentiunt) similiter? Et dicit, non esse in animis dissimilitudinem, sed in corporibus, quae prout (ut pro ***P***) fuerint vel vivacia vel torpentia, ita (tales ***PBC***) et animos faciunt; quod potest etiam in uno eodemque (eodem ***PB***) animalis corpore probari.' Quae sequuntur quid sibi velint, non potest intellegi. Librorum autem testimonia haec sunt: ,In sano enim corpore alia est vivacitas mentis, in aegro pigrior, in satis invalido (***sic RS,*** pigriori in insanis in valitudo ***C,*** pigrior insanis invalitudo ***PB***) etiam ratione carens, ut in phreneticis cernimus: adeo cum ad corpus venerit, non natura sua utitur, sed ex eius qualitate

mutatur.' Scripsisse videtur Servius ,In sano enim corpore alia est vivacitas mentis, quam in aegro; pigrior animus in invalido, interdum etiam ratione carens, ut' e. q. s.

v 752. Servius Vergilium v. 724—51 id egisse dicit, ut ad laudationem Romanorum et praecipue Augusti transitum pararet. ,Nam qui bene considerant, inveniunt (invenimus *C*), omnem Romanam historiam ab Aeneae adventu usque ad sua tempora summatim celebrasse Virgilium (Vergilium *C*). Quod ideo latet, quia confusus est ordo. Nam eversio Ilii et Aeneae errores (erroris ***PC***), adventus (adventum ***PC***) bellumque manifesta sunt: Albanos (albanus ***PC***) reges, Romanos etiam, consulesque commemorat (commemoratus *S*; que commemorat ***om. R;*** Romanos etiam consules quos commemorat ***vulgo***) Brutum (***scripsi,*** Brutus ***SPB,*** Brutos ***RC***), Catonem, Caesarem, Augustum; et multa ad historiam (Romanam ***add.*** *S*) pertinentia hic indicat locus.'

v. 767. Verba quae sunt ,duodecimus fuit. Et Capys' moneo e codicibus saec. XV deprompta esse.

v. 770 nescio an Servii sint quae ***PC*** exhibeant ,Refert autem ad tutorem, qui eius invasit imperium.' Sangallensis habet ,Recepit autem a tutore,' Reginensis ,Receperit a tutore.' In iis quae sequuntur ,LII' est Cassellani scriptura.

v. 776. ,Castrumque Inui; una est in Italia civitas, ***Castrum novum*** dicitur.' Sic mei libri omnes, nisi quod post ,civitas' Reginensis habet ,quae.' ,Una', quod est meorum et Burmanni librorum testimonium *), vereor ut Burmannus satis apte defenderit. Heinsius ,Inua' Servium scripsisse coniecit, Masvicius ,Inuum' edidit. Equidem ,una' vocem delendam esse puto, quippe quae ex ,Inui' nomine perperam repetito orta esse videatur. ,quae' autem e Reginensi recipiendum esse duco. Quae sequuntur sic scripta sunt in libris: ,De hac (autem ***add. RC***) ait ***Castrum Inui*** i. e. Panos, qui illic colitur. Inuus autem latine appellatur, graece ***Πάν.*** Item ***Ἐφιάλτης*** (efialtes ***libri***) graece, latine Incubo (Incubus ***S.*** latine ab incumbendo Incubo ***R***); idem Faunus, idem (Faunus idem ***om. P***) Fatuus (fatulus *S*), Fatuellus (fatuclus ***S***, fatudus ***R***, fatuculus ***C***, fatuelis ***P***). Dicitur autem Inuus ab ineundo passim cum omnibus animalibus, unde et Incubo dicitur.'

v. 793. Servii haec esse videntur: ,Divi genus; Caesaris, qui factus est deus. Genus (***om. R***) autem dicit non solum iure adoptionis, sed etiam (***om. CP***) consanguinitatis. Nam Atiae (acciae ***R,*** octaviae ***CP***) fuit filius, (***vulgo additur*** quae filia Juliae) quae erat soror (socer ***P***) Caesaris. Hic autem Augustus Caesar hoc

*) Lionus, qui Burmanni libros ,ita' exhibere dixit, adnotationem Burmanni non intellexit.

nomen accepit a patre adoptivo. Nam ante Octavianus dictus est a patre Octavio, Atiae marito (Octaviae mariti *PC*, post Augustis Caesar *R*).

v. 806. ‚Nysae, mons est Indiae de quo loquitur. Ceterum est et Nysa civitas (om. *C*), in qua Liber (*om. C*) colitur. Unde Nysaeus dictus est.' *SRC*. ‚Ceterum est Nysa, ut feri cides (*l.* Pherecydes) ait, in boetia (*l.* Boeotia), in qua colitur Liber pater, unde nysa ea (*l.* Nysaeus) dictus est.' *P*. Quae in editis exemplaribus post ‚civitas' leguntur ‚in monte Parnasso' in meis libris desunt.

v. 814. ‚De hoc Livius: ferox Romulo quam Numae similis.' *SC*, quibuscum consentit *R*, praeterquam quod ‚singulis' exhibet. ‚De hoc Livius: Inde gallum qui ferox et Romullo quam Numae similis.' *P*. cf. Liv. I 22 ‚Hic non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam quam Romulus fuit.'

v. 815. Scribendum est ‚a consuetudine triumphandi desciscentia.' Sic enim Cassellanus. Sangallensis habet ‚descis scientia'; Reginensis ‚desuentia', sed ab eadem manu supra versum scriptum ‚desciscentia'; Parisinus denique ‚discentia.'

v. 819. ‚Ideo ergo ultoris, scilicet libertatis publicae et Lucretiae pudoris.' Pro ‚libertatis publicae', quod *RS* habent, *PC* ‚liberatoris reipublicae' praebent, quae est inepta coniectura.

v. 825. ‚Quin Decios'; quin immo (qui immo *PB*) Decios respice. Hi duo fuerunt, qui Mures dicti sunt, pater et filius. Horum alter se bello Gallico, alter Samnitico vovit (vocavit *PB*) pro republica cum terra et manes universum (bello *add. R*) vellent exercitum perdere.' Haec in libris. Burmannus coniecit ‚devovit pro rep. se terrae et manibus, ne universum' e. q. s. At ‚cum' debebat retineri et ‚hostium copiis' vel tale quid addi.

v. 831. ‚Socer vero, quia Pompeius habuit (habet *R*) Juliam, filiam Caesaris, quae in partu periit (perit *P*). Unde etiam isti facile inter se dimicare potuerunt.' Haec in omnibus libris meis extant pro eis quae vulgo eduntur ‚facile in bella venerunt'

v. 846. ‚Hic postea cum Hannibalis impetum ferre non posset, mora eum elusit et ad Campaniam traxit, ubi deliciis virtus eius (eius virtutis *S*) obtorpuit' *RS*. ‚Hic — elusit, nam oportuna loca praeoccupans a vastatione Italiae compescuit et ad Campaniam traxit, ubi d. Carthaginiensium v. o.' *P*.